

ad sensum variandas motiunculas, in longum, in latum, totum hoc
spacium duplo crassius omni Marte, repletur tam portentosis or-
bibus? Quæ hæc Naturæ luxuries? Quàm inepta? Quàm inutilis?
Quàm minimè ipsi visitata? Atque ex hoc videre est, in Copernico
nullum orbem ab alio tangi, sed ingentia relinqu systematum in-
terualla vtique plena cœlesti aurâ, sed ad neutrum tamen propin- *Huc pertinet Tabula*
quorum systematum pertinentia. Hac tabula ob oculos propono *QVINTA.*
tibi orbium & interstitionum magnitudines iuxta veras proportiones: uti eæ numeris à Copernico expressæ sunt. Eorum autem spa-
ciorum cum initio professus sim causas ex s. corporibus reddere,
cur tanta singula inter binos planetas relicta sint à Creatore Opti-
mo Max, nempe quòd singulæ figuræ singula interualla efficiant:
videamus modo, quàm id feliciter tentatum sit, causamque hanc
coram Astronomia Iudice, & interprete Copernico disceptemus.
Orbis ipsis tantam relinquo crassitatem, quantam requirit ascen-
sus descensusque planetæ: quæ tamen vtrum sufficiat, infrà, cap. 22.
videbis. Quòd si figuræ interiectæ sunt, vt dixi: oportet imam su-
perioris orbis superficiem æquari circumscripto figuræ, summam
inferioris inscripto: figuræ autem censerio ordine, quem suprà
rationibus confirmavi. *Quare*

			Lib. 5. Cop.
Si ima	{ H ♀ ♂ terra ♀ }	est 1000. debebat es- se summa	{ 635 Cap. 9. 333 Cap. 14. 757 Cap. 19. 794 Cap. 21. & 22. 723 Cap. 27.
		Iouis 577 Martis 333 Telluris 795 Veneris 795 Mercurij 577 vel 707	At est se- cundum Co- pernicum

Quòd si crassitatem orbis terreni accenseatur sistema lunare;
ergo si ima superficies orbis terreni, & lunam comprehendens, est
1000, summa Veneris est in Copernico 847. Et terreni orbis cum
luna summus margo est 801: si ♂ ima habet 1000. Hic velim te
identidem respicere ad tabellam capituli secundi, nempe ad huius
interpositionis qualemcunque imaginem.

En numeros parallelos propinquos inuicem, & Martis qui-
dem atque Veneris eosdem. Telluris verò & Mercurij non admo-
dum diuersos, solius Iouis immodecè discrepantes, sed quod in

G 2 tanta